

Letter 362: 29 June 1528, Liegnitz (Legnica), Valentin Crautwald to Capito

Printed in QGT 7, pp. 164-73, Ep. 141.

Cognitionem domini nostri Jesu Christi secundum spiritum sanctum, amen. Benedicimus deum et patrem eiusdem domini nostri, qui gratia sua effecit, ut ea omnia, quae Schwenckfeldius atque ego fraternitati vestrae miserimus et scripserimus, grata vobis fuerint, apudque vos locum invenerint, non quem ipsa mereantur, sed quem charitas vestra scriptis illis atque literis deputavit.

Quod vobis probatur, ut sive per Augustanos, sive Norinbergenses istuc scribere tentemus, ipsi etiam aliquanto ante hoc ipsum statueramus, quamvis per Augustanos nobis sit difficilius, et per Norinbergenses scribere commodius. At cum qui istic sunt ministri diversa a nobis sentiant, suspicio est, illos operam istam detrectaturos, ut interim taceam hoc quod potest cupiditas cognoscendi res nostras, quas inter nos charitas pertractet.

Est Dominicus Schleupner, gentilis meus, longa consuetudine notus, ultra iunctus amicitia et cum quo de multis, quae in controversiam venerunt, non pudit agere liberius et aliquando serio. Attamen hucusque in ancipiti fui, quid in hac parte facturus esset Dominicus, alioquin meus gentilis et amicus perquam vetus.

Scio quoque Hanerum esse Norinbergae, hominem literis ac pietati mire deditum, quodque ad hanc causam attinet, Ecolampadio ac sententiae ipsius votis omnibus faventem. Nescio autem cum talis sit, nostris literis vel prodendus existat, vel onerandus. Itaque rogo, ut vos apud Norinbergenses aliquam rationem ineatis, qua voti nostri compotes esse valeamus, atque per ipsos ad nos scribere satagatis. Spenglerus Norinbergae Dominico est coniunctissimus, id quod Dominicus ipse iam olim, cum patriam inviseret, presens affirmavit.

Disputatio Bernatium ad nos pervenit, et Lutheri discipulos magnum in modum concussit. Imo ipsum etiam Lutherum graviter accepisse aiunt, institutam fuisse disputationem atque hoc eventu finitam. Legi quae de eucharistia disputata sunt, tantum, ne diutius et bibliis abessem. Turbam pontificum prestitisse occasionem turbarum iam pontifices quoque cognoscunt, utcunque quidam apologiis et vario pretextu rem ipsam defendant atque excusent.

Epistolam atque libellum Schwenckfeldii censeo in aliquod tempus supprimendos. Non enim omnia potuerunt tam cito maturescere. Vos vestras rationes urgete: mihi magis arridet tarditas quam praecipitatio; imo malim culpari, quia segnior sim hoc loco, quam quia festinem: utrumque expertus sum, sed tutiores cognovi moras.

Scripserunt quoque patres illi et episcopi prisci suis seculis et hominibus, qui iudicarent de scriptis. Verum ubi quedam, et non pauca immatura essent, atque a posteris locum oraculorum obtinerent, quantum damni dederint, non te fugit. Deinde quod me attinet, nolim quicquam scribere in publicum priusquam iubeat et prosperet dominus. Is etiam ut vestra et nostra omnia in suam gloriam dirigat, precor et oro.

Lutherus insuper, qui nihil omittit quod pertinere videtur ad regni sui robur, ad principem nostrum iam pridem scripserat non multum ab his, quae senatui vestro, dissidentia. Scripsit item ad alios quosdam, qui nobiscum sentire inciperent, ante autem iurati velut hominis discipuli fuissent. Fiat quod augeat in nobis divini nominis sanctificationem. Veruntamen non est quamobrem quis putet ea, quae in Carolstadium, rusticos atque alios omnes parum amice, ne dicam christiane gessit, homini impune cessura, quemadmodum et multo minus gloriam Christi fuisse obscuratam, que nostri nominis probro et devotione et non altera crescere solet.

Dissidium electorum in causa est, ut omnes ad coelestem crebrius magistrum respiciant, in timore domini sanctitatem operentur, in orationibus vigilant, ut fiducia nostri et carnis securitas suscepta paulatim subsidat et intermoriatur. Oportet esse hereses [1 Cor. 11: 19], atque de eruenda veritate omnium solitudinem excitari decet, quam multis cineribus fumi humani ceperant obtegere. Et quis commoda horum dissidiorum memoret? Nam ego tanta esse contenderim, hoc presertim tempore, ut paci, quam omnes cupimus et cito dari postulamus, non verear, si non praeponere, saltem comparare sive opponere. Dominus autem imperet mari et vento, ut fiat tranquillitas magna, amen [Mt. 8: 26 f].

In Anabaptistas, saltem eos, qui ista initiatione pietatem et sanctimoniam promoveri posse in animum induxissent suum, semper fui animo placido; denique hoc sensi fere, quod tibi dominus impertiit. Tyrannidem in eos, neque illam, quam hii, qui sacris addicti sunt, seu ministeriis seu literis misellis excitarunt, neque eam, quam potentes huius seculi vitae ac rebus eorum intulerunt, unquam probavi, quemadmodum et persuaderi nequeam, ut rusus mergar, et repeti petam ministerium externum baptismi.

Scio enim, si quid in his, quae salutem et veritatem attingunt, aut erratum fuerit aut variatum, externo aliquo symbolo sive ministerio restitui et sarciri non posse; spiritu opus esse; interna instauranda per Christum, non externa repetenda per ministrum. Deinde qui lotus est, ait Christus, non habet opus, nisi ut pedes lavet [J. 13: 10]. Ex quo vero, pro immensa benignitate patris coelestis, coepi lavatorem illum, qui nos lavat a peccatis nostris in sanguine suo (Apoc. 1; 5), cognoscere; non recurro ad aquas externas, sed peto et oro, ut interna cum externis suo lavet cruore ac spiritu imbuat, non solum pedes, sed et manus et caput.

Quod sibi quis aliquam remersionis suae, quamvis unam esse scio tinctionem [Eph. 4:5], sive immersionis aut signationis, vel per aquam vel per crucis signum, queat adferre rationem, non cum eo digladior, multo minus, quam si aedem aliquam papisticam pertransiens, aquula, quae ibi variis locis et vasculis exponi solet, sese aspenderit incautus, aut etiam data opera, in memoriam lotionis illius, quae est per lavacrum aquae in verbo.

Nam quomodo misellis illis adferat causas mortis aquae aspersione, quae apud papistas libera erat, — et quid libera! —, quam sacerdotes statis diebus et iustis ritibus, nunc largiter, nunc partius profundere solebant in sanctitatem, nondum video. Quin etiam miror qua id fiat ratione, ut qui lingua vernacula tincti sunt his annis, a papistis impune retingantur, et in Polonia vicina nobis, qui Lutherismum exuunt, et in Austria qui Anabaptismum diris devouent, iterum tingantur et multa aqua perfundantur, nemine neque remurmurante neque reprobante. Apud papistas sepius lavari pietatem promovet. Apud alios bis tincti tertio merguntur. Tantam monet aqua turbam, si tamen non hoc facit nostra stulticia et mysteriorum divinorum ignorantia. Satis de aqua baptismi eorum qui remergantur.

Paedobaptismus certe intollerabilis est, neque ullis scripturis, aut exemplis, aut rationibus tueri potest, quicquid in eo asserendo, simul alii plerique, simul noster Bucerus, operis tandem impenderit. Pueri regni coelestis ex deo nascantur oportet: non generatione, sed regeneratione fiunt Christiani. Nemo renatus est antequam natus, neque nostra inscriptione aut assumptione ascisci possunt pueri in regnum coelorum: alio signatore est opus. Nos ut pueros in regnum coelorum signemus, neque ministerium neque imperium accepimus. Si quis dubitet, ille vocationem suam et missionem diligenter excutiat; deinde prudentis et fidelis servi munus esse meminerit, ut distribuat famulatio domini non quod ipse signarit aut conscripserit, sed quod dominus curae ipsius tradiderit in tempore demensum cibum seu triticum.

Neque circumcisio populi hebrei huc aliquid armaturae adfert. Circumcisio siquidem et baptismus diversa sunt mysteria, neque aliquis mystice baptisatur, nisi cordis preputium iam ante

fuerit recisum [*Jer. 4, 4*]. Qui ex Coloss: Pauli [*2, 11 f.*], circumcisionem et baptismum, quod mysterium attinet, et ea que intus gerantur spiritu, coniungunt, magnopere falluntur. Nam preter alia testantur se Paulum eo loco nondum assecutos. Quare non vident quoque Christum dixisse Math. Ultimo [*28, 19*]: [Gr.] poreuthentes, oun matheteusate panta ta ethne? Cur non apertis oculis istud [Gr.] matheteuin considerant, ut primum discipuli fiant qui sint baptisandi? Cur non cernunt aliud esse Christo [Gr.] matheteuin, aliud [Gr.] didaskein? Cur non vident discipulatum semper precessisse in apostolico ministerio?

Verum haec ad Bucerum meum proprie pertinerent, qui eas partes suscepit tuendas cum aliis: quam vero solide istud fecerint, cognoscent aliquando, cum dominus latius eis sensum aperuerit et mentem. Ad te autem scripsi, qui iam donum a domino acceperis, ut de his queas pronunciare liberius. Tu boni consule, atque vide, an tua te monitio queat coram domino excusare, an liceat aliud agere, quam quod prescripsit magister, an in rebus his seriis queat seu charitas, seu populi postulatio, nos, cum opus fuerit, excusare, an liceat in mysteriis, in ecclesia, in populo Christi agere quod sit inutile, quod non aedificet, denique quod non prosit, ut coetera taceam. Haec vero scribo, non ut te laqueo capiam, sed ut in his, que probas, Paulino elogio beatus pronunciari queas, Rom. 14 [*22*].

Lutheri sententia de virtute sacramentorum illico ruet, si dominus, ut cepit, perficiet in vobis, ut fortissime adstruatis, gratiam dei esse solius hominis Jesu Christi; per illum solam dari; illum esse fontem gratiae et plenitudinem, e qua omnes accipiamus; gratiam non transvasari per creaturas, non eis includi, neque alligari; creaturas omnes, etiam hominem non reatum, gratiae capaces non esse; privilegium hominis et carnis propter deum in carne solius esse, ut per Christi carnem gratiae dei haustum potet; elementis non conferri gratiam; denique nullis externis inesse aliquam vim spiritualem aut salutarem.

Vidi ego Bucerum in commentariis, quos evangelio secundum Johannem destinavit hanc gratiae dei iniuriam vindicandam suscepisse, gratulatusque sum vehementer, siquidem istinc didici revera vos in scholas spiritus Christi introisse. Spiritus me glorificabit, ait Christus [*J. 8, 54*], atque cognovi vobis dominum arietes et catapultas suppeditaturum, quibus gratiam, quae est unius hominis Jesu Christi, sitis strenue propugnaturi. Didici ego monstrante eodem duce, dogma hoc alligatae elementis gratiae, aut per creaturas veteres ad nos derivandae, esse prorsus impium, atque quam sit adversum verae pietati cognovi.

Itaque contuli scripturas novi testamenti, in quo gratia dei revelata in Christo scribitur, atque consideravi, si iubente et felicitante domino fortiter gratia in Christo asseri ceperit, humanae sapientiae oracula in confusionem abitura, neque solum in hac parte, sed multo magis in tota impanatione seu ficticia et Geryonica unione. Prestet dominus, ut fiat id ipsum secundum voluntatem suam oportune, amen. Concordiam vestram laudo atque, ut ea secundum dominum sit, non secundum hominem, oro.

Faber quanta machinetur et tractet fabrilter, olim vos, nunc ex adverso nos sentimus. Reddit quodam libello causas, propter quas D. Baltasar Huobmör [sic] fuerit incendio publico Vienna Austriae sublatus e vivis, in quo Zvinglio gravem notam inussit, perinde quasi Zvinglii hortatu, cum esset Tiguri, in vinculis ad torturam raptus fuerit Balthasar. Si libellus ille nondum ad manus vestras pervenit, e Norinberga petere potestis.

In Cellarii libello, quae desiderem, ubi iterum perlegere vacaverit, annotabo, tametsi non dubitem ea, quae sunt ubique imperfecta, perfectiori successione aboleri, seu potius impleri posse, modo nos a magisterio spiritus non desciscentes, in timore domini crescamus et ambulemus.

Mathei evangelion cur cupiam, si fieri possit, hebraice sive scriptum, sive in eam linguam e greca translatum intueri, quid attinet exponere? Rabinos ex professo contra dogmata nostra scripsisse, atque ea, que Christi sunt, elevasse, ego quoque annotavi, observatis his, que Judei in familiari collatione mihi respondere solebant, si quando inter illos cum eorum magistris instituerem de Messia disputationem. Proinde rabinos non magnopere moror.

Sed et seculum nostrum adeoque ab eis pendere, nescio an doleam: sat scio, in his contemni deum, at neque istud me fugit, mensam eorum versam ipsis in laqueum, atque istud nobis eventurum, aut certe deterius quiddam, nisi prorsus a spiritus magisterio, quem illi blasphemant, quae in scripturis sunt, discere et petere satagerimus.

Magno iudicio opus est lecturis rabinos; maiore iis, qui ex eorum com[m]entariis aliud quam grammaticas rationes et si qua sunt paria venari volent; maximo, si qui, quod est humanae apud eos sapientiae, ne dicam erroris et illusionis, studeant scripturis, seu interpretandis, seu transferendis, accomodare. Non dubito quin tu iam teneas quid velim. Sentiet aliquando totus orbis, illi tamen precipue, qui omnia tenere volunt, et nihil nisi rabinicum in scripturis magnificiunt.

Presentior est nobis Christi spiritus quam rabini; certius docet de veritate quam illorum discordia. Explosa est scolastica et sophistica stulticia: succedet, nisi providerit dominus, rabinica et iudaica perfidia. Nollem esse alicubi ullum exemplum, sed est, proh dolor, etiam in Bucero nostro, qui animatus rabinorum observatione, et quod Ruffinus de articulo descensus Christi ad inferos ait variasse ecclesias, ausus est descensum Christi ad inferna in dubium vocare.

Scio que rabini de [heb.] sheol nugantur. At hoc erat obscurare Christi descensum et regnis inferorum addere cristas contra Christum. Quam vero rabinorum armatura tectus, iniurius etiam sit scripturis psalm. XV [10] et Actor. II [24, 27], aliquando vel ipse amice et, quemadmodum decet fratres, benigne ostendere pergam.

Quicquid scripturarum Christum a mortuis resurrexisse affirmat, eundem ad inferna, ad infimas terrae partes, in abyssumque descendisse convincet. Mortui enim non solum censentur a sepulchris, in quibus corpora contabescunt, sed etiam ab eo loco, in quem commigrant animae mortuorum. Qui igitur cum mortuis fuisse, et a mortuis resurrexisse scribitur, non in sepulchris mortuorum tantum fuerit, sed etiam alteram mortuorum partem, que vivat, quae supersit, inviserit, necesse est. Commonefaciam Bucero huius temeritatis, nisi forte inter scribendum memoria contigerit excidere.

Fortiter urgetis, ut edamus nostra, sed vestro etiam exemplo monemur, ut diutius simus discipuli spiritus, atque magis ac magis nostra timeamus ac odiamus etiam. Quemadmodum vero tu cupis, ut quicquid scribas, bene vertam, ita vicissim hoc ipsum abs te contendo, licet ipse magis mihi curae esse cupiam, ut quam certissime sentiam et vivam, quam ut nihil sit in mea litera aut manu, quod reprehensione dignum existat. Iam vero haec inter nos nobis non facessant, queso, negotium: charitas palmam ferat et regnet veritas, amen.

Patria nostra in Luterismum videtur inclinatura paulo post, id quod tamen communis salvator et dominus, Iesus Christus, queso, prohibeat. Ibi aegre nobis in ea locus reliquus erit. Si voluerit dominus, ut hinc migremus exulatum, ad vos convolabimus, aliquo in angulo, donec pertranseat iniquitas, latituri. Fratres tuos omnes nobis charissimos saluta atque iube, ut iugiter precentur pro nobis Christum. Cellarium ne omiseris: gratum foret, si ad me quoque ipse scribere dignaretur; quin, ut scribat, optime Capito, tu hortare.

Porro ob quorundam bonorum autorum editionem deo gratias atque tibi ob eorum nomenclaturam ago: usum eorum, praelucente iusticiae sole, didici. Quod eos attinet, qui scripturas exposuerunt, scio quo loco sint habendi: in Tertulliano multa vidi verae et pristinae

pietatis vestigia; plurima in Hilario sanctae eruditionis; Chrysostomon grece legere mallet quam latine; in Cyrillum ea optarim restitui, quae in comentariis in Iohannem desunt: nam quantum vir ille (simulque plerique ex maioribus) in cognitione Christi nos precelluerit, eo commentario palam fecit, quamvis per interpretes non theologos, et sanctarum literarum imperitos, multum preter alia incommoda lucis decesserit. Oecolampadium autem nostrum spero felicitius in Cyrillum operam impendisse, quam in Vulgarium utcunque et in illo sint, quae spirituali lectori probari queant. Insuper maiorum consensus in his, quae recte et secundum deum sentimus, non est aspernandus, imo requirendus sepe.

Vis, tecum fabuler longius: Iohan. V [39] inquit Christus:[Gr.] Ereunate tas graphas. Eo loco multi particulam [Gr.] ereunate putant esse imperandi modum, cum sit indicandi, id quod etiam Schwenckfeldius meus observat. Docet hoc ipse contextus: docet, quod Christus ad se omnes vocat, sed in scripturis requiri vult, non autem hic ad scripturas mittit. At si hoc modo in gloriam Christi exponas, quantum sustuleris auctoritatis, quae scripturis ex hoc loco nostro tempore arrogata est! Quin violentus et improbus eris novus expositor, et si qua sunt paria. Iam si Cyrilli testimonium tuis munimentis adhibueris, fortior eris in adversarios; nam et ipse non vult cum imperio legi eum locum, libro tertio, capite quarto suae Enarrationis, neque diffiteor opus et hic esse iudicio et libertate spiritus.

Anabaptistarum dogmata non omnia probo; moneo autem, ut de libertate spiritus, quae est per spiritum Christi in fidelibus, inter vos conferatis. Nam de libertate, quam vocant arbitrii, arbitror, neque Erasmus, neque Lutherum recte scripisse. Quae vero natura sit eius libertatis, et an aliqua sit, certo tenebit, qui lapsum ac reparationem hominis probe, qui duplicem hominem, novum et veterem, exacte cognoverit, et qui vim spiritus, qua aguntur filii dei, persenserit. Id quod ut locuplete nobis eveniat, prestat ipse, qui spiritus sui habitaculum in carne nostra statuit, amen. Iam vale atque vive. Datum Ligenisii, die penultima mensis Iunii MDXXVIII.